

at ille dixit : etiam : quâ in re mendacii convincitur Paulus. Tarsis enim in Cilicia ubi natus erat, Colonia Romana non fuit, nisi centum post Christum annis, ut contendunt Cellarius (*Geograph. lib. 3. cap. 6. tom 2. p. 153. edit. Amst. 1706*) et Grotius, (*Comment. in Act. cap. 22.*) Numquid autem afflatum à Deo dixeris scriptorem tanti mendacii reum ?

Resp. Inter eruditos, alii Tarsim Pauli patriam, ob fidem Julio Cæsari servatam, ab ipso Romanæ civitatis privilegium accepisse affirmant; ita Spanhein (*Lib. 9. de præstantia et usu numismatum, dissert. 9. pag. 183. edit. Amst. 1671.*) quo posito, nulla superesset difficultas; alii verò id negant.

Quidquid autem ea de re sentiant eruditi, certum est potuisse Paulum esse civem Romanum. Multi enim vel rebus præclarè gestis, vel pecuniâ jus illud obtinebant. Id constat ex ipso qui obicitur loco. Tribunus quippè ait Paulo : *Ego multâ summâ civitatem hanc* (nempè jus civis Romani) *consecutus sum.* (*Ibid. v. 28.*) Quidni ergo potuit Apostoli pater aut avus honorem illum acquirere? Plurimos Judæos fuisse cives Romanos, probant multa et urbium et Proconsulum decreta, quæ refert Josephus (*Antiquit. Judaic. lib. 14. cap. 10. p. 703.*) jure civitatis (*droit de cité*) etiam sub Augusto Romæ fruebantur Judæi. Philo enim in sua ad Caium Imperatorem legatione asserit, ab eo Principe Judæos hoc jure non fuisse exutos, et partem habuisse in muneribus, quæ Imperator ille civibus Romanis distribuebat. Quâ igitur fonte ausus est autor nefarii operis, cui titulus : (*Examen important*) tantum Apostolum insignis mendacii accusare ?

Alias difficultates plurimas jam dissolvimus in Tractatu de Religione, ubi sacros Codices esse authenticos, integros et veraces demonstratum fuit. Singulas autem expendere nostri non est instituti. Id unum generatim adjiciemus, non scilicet divinam

divinam esse Scripturarum autoritatem ita existimare, ut tamen non diffiteamur sacros quibus utimur Codices, in quibusdam levioribus, quæ ad fidem et mores non pertinent, ab ipsis autographis discrepare posse : sacris enim Codicibus in longa seculorum serie idem contigit, quod Scriptis profanis; ut scilicet menda quædam ex amanuensium oscitantia, vel imperitia irreperent : itaque nisi homines increduli quos impugnamus, probaverint primigeniam Scripturæ lectionem eam esse, quam falsam suspicantur, tamdiù licebit transcribentium incuriam accusare, et mendosum codicem arguere, non imminutâ Scripturarum divinâ autoritate : si enim inter variantes Ciceronis v. g. operum lectiones quas collegit Grævius, occurrant pugnantes et falsæ, licet nemo contendat hinc nutare Ciceronis operum autoritatem, cui menda quædam levia nihil detrahunt; cur non fas erit idem de Libris sanctis asserere? Illud jam pridem ab Augustino contra Faustum observatum fuit : *Ibi* (in Scripturis) *si quid absurdum moverit, non licet dicere : autor hujus libri non tenuit veritatem; sed, aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.* (*Lib. 11. cap. 5.*)

CAPUT II.

De modo quo Scriptura sacra fuerit inspirata.

EA de re diversæ sunt Theologorum opiniones : sunt enim qui Spiritum Sanctum sacris autoribus sic adfuisse putant, ut tum res, tum singula verba ipsis suggesserit; ita Theologi Lovanien ses et Duracenses in celeberrimis censuris anno 1588

contra Lessium aliosque editis; alii, partim afflantî Deo, partim Scriptoris industriæ, res ipsas sacris litteris expressas adscribunt; alii res sententiasque omnes divinæ inspirationi, verba autem et stylum Scriptoris labori et ingenio attribuunt.

Intereos etiam Theologos non convenit, in quo sita sit divina hæc rerum et sententiarum inspiratio. Quidam opinantur eam in libris historicis et moralibus nihil aliud esse, quam singularem quamdam Spiritûs Sancti præsentiam, non afflantis, sed dirigentis; non dictantis autoribus sacris quid scriberent, sed invigilantis ne inter scribendum errarent: ita imprimis Cornelius à Lapide; alii existimant librum meritò censeri divinum, cum Spiritus Sanctus eum, licet humanâ industriâ scriptum, suo testimonio approbat; ad eum ferè modum quo Princeps aliquis suo sigillo confirmat epistolas à suis scribariis conscriptas, et quæ eam ob causam dicuntur Principis litteræ.

Ne autem de verbo magis quàm de re ipsa litigetur, definiendæ sunt voces: inspirationis enim nomini aliquid ambiguitatis inesse potest, et nonnulli *revelationis et inspirationis* vocabula promiscuè habent, nec unum ab altero satis accuratè distinguunt. Revelatio vel strictè vel latè sumitur. Revelatio strictè accepta, est ea qua Deus veritatem antea ignotam manifestat; talis illa fuit quæ Deus Isaïæ revelavit exiturum Principem, nomine Cyrum, qui populum Dei à captivitate Babylonica liberaret. Revelatio latè sumpta sive *indirecta*, est ea quæ veritatem suggerit jam cognitam, ne è memoria excidat. Inspiratio autem est motus animi insolitus, et interna quædam incitatio, quæ Spiritus Sanctus ad scribendum impellit, et inter scribendum dirigit, quid litteris mandandum, quidve omittendum sit suggerens. His præmissis, sit.

PROPOSITIO I.

Revelatio strictè sumpta autoribus sacris non semper est necessaria, ut divina sit eorum in scribendo autoritas.

Probatur. Revelatio strictè sumpta est veritatis prius ignotæ manifestatio divinitus facta: atqui licet illa revelatione Scriptor sacer sæpius indigeat, quando scilicet agitur de mysteriis annuntiandis, rebusque supra humanam intelligentiam positis, ea tamen non semper est necessaria; ut v. g. cum Prophetæ aut alii quasdam scribunt historias et morales sententias, quarum prius accuratam cognitionem vel à Deo, vel à se ipsis, vel à testibus fide dignis habuerunt. Quis enim dixerit Moysi necessariam fuisse novam divinitusque factam manifestationem, dum refert Ægyptiacam servitutem, Israëlitarum liberationem, miracula, cum ipse horum omnium oculatus testis, parsque magna fuerit? Idem sentiendum de plurimis factis quæ scribunt Matthæus, Joannes, Lucas, Marcus, aliique Autores sacri. Quapropter ut fidem sibi concilient, non semper ad novam divinamque rerum antea ignotarum manifestationem confugiunt; sed quæ oculis suis viderant, quæ perspexerant, quæ manibus contrectaverant annuntiare se profitentur, ut testatur Joannes. (*Epist. I. c. I.*) Pariter ea quæ narrat Lucas, ad eorum testimonium refert, *qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* (*cap. I. v. 2.*) Quis crediderit auctori secundi libri Machab. cum historiam à Jasona Cyrenæo quinque libris comprehensam tentaret uno volumine contrahere, opus fuisse novam earum rerum manifestationem, quæ ipsius oculis erant subjectæ? Opus habuerit divinâ motione, quæ ad scribendum excitaretur et continuatâ inspiratione, quæ fieret ut nihil de suo iis adjungeret, quæ ut

scriberet divinitus incitabatur, id sponte fatebimur; novam autem revelationem proprie dictam ipsi necessariam fuisse, nemo sanus putaverit; ergo etc.

Et verò ut divina sit operis alicujus autoritas, satis est autorem à Deo moveri ad scribendum, qui ipsius animum ita regat et moderetur, ut nihil nisi verum Deoque excitante dignum ab ipso scribatur: atqui illud fieri potest sine nova revelatione strictè sumpta; quid enim impedit quominus aliquem impellat Deus ad ea scribenda, quæ jam novit, eumque ita efficaciter dirigat, ut inter scribendum nullus error possit irrepere?

Dices: Si quædam sint in Libris sacris, quæ eorum autoribus revelata non fuerint, hæc non erunt objectum fidei; quia nihil est de fide, nisi revelatum sit: atqui objectum est fidei quidquid in Libris sacris continetur; ergo etiam revelatum fuit.

Resp. Dist. maj. Si nullo modo revelata fuerint, conc. maj. Si in se et quoad substantiam non revelata sint, neg. maj. Reverà quidem nihil est de fide, nisi fuerit aliquo modo revelatum. At semper non opus est ut in se, et quoad substantiam iis revelatum sit, à quibus scribitur: v. g. ut de fide sit Christum miracula edidisse, et à Judæis cruci affixum fuisse, necesse non est Evangelistas id ex nova revelatione accepisse, dum illud scriberent; at satis est ut quod propriis inspexerunt oculis, Spiritu Sancto impellente, litteris mandaverint; cum igitur quæcumque in sacris Codicibus continentur, Deo inspirante, scripta fuerint, et illa inspiratio concipi non possit, sinè aliqua revelatione, saltem quoad rerum scribendarum delectum, inde sequitur varias Scripturarum historias moralesque sententias objectum esse fidei, quamvis huic inspirationi non semper accesserit rerum prius cognitarum nova strictèque sumpta revelatio.

PROPOSITIO II.

Scriptura non eo tantum sensu fuit inspirata, quòd Spiritus Sanctus Autores sacros inter scribendum direxerit, ne errarent.

Probatur. Quia eo modo inspirata esse debuit Scriptura, qui requiritur ut verbum Dei meritò dicatur: atqui hoc nomine prorsus immeritò donaretur, si ipsius inspiratio in eo tantum sita fuerit, quòd Spiritus Sanctus autores sacros ne errarent, dirigeret: tunc enim habuissent quidem protegentem Deum, et ne quid falsi obreperet curantem; sed non afflantem: ac proinde ipsorum verba per se humana essent et inferioris ordinis; non autem divina. Si enim ad verbi divini dignitatem, satis est ut Deus autores sacros dirigat, ne quid falsi ipsis excidat, tunc Ecclesiæ circa fidem definitiones erunt verbum Dei, et eandem ac Scriptura sacra dignitatem obtinebunt; siquidem Spiritus Sanctus Ecclesiam in condendis fidei definitionibus dirigit, nec eam errori obnoxiam esse permittit: atqui tamen negant adversarii Ecclesiæ circa fidem decreta esse verbum Dei; ergo fateantur necesse est, Scripturarum inspirationem non in eo solo positam esse, quòd Deus autores sacros ita peculiari auxilio direxerit, ut nihil falsi illis potuerit excidere.

PROPOSITIO III.

Ad Scripturam sacram non sufficit, ut postquam humano spiritu scripta est, Deus eam approbaverit.

Probatur. 1º. Quia juxta illam sententiam, Scriptura non esset verbum Dei: ut enim aliquid verbum Dei meritò censeatur, à Deo prodierit necesse est: atqui Scriptura quam Deus tantummodò

approbat, tanquam erroris expertem, ab eo non proficiscitur, et non nisi humanae industriae opus est, ut satis patet. 2°. Quia, fatentibus ipsis quos impugnamus Theologis, aliquid est discriminis Scripturas inter et Conciliorum generalium circa fidem definitiones: atqui in opinione quam refellimus, evanescit illud discrimen: quis enim Catholicus dixerit Conciliorum generalium definitiones ad fidem pertinentes, à Deo tanquam veras non approbari? ergo; etc.

Hinc merito Theologi Lovanienses et Duacenses istam propositionem censuram perstrinxerunt: *Liber aliquis, qualis forte est secundus Machabaeorum, humana industria sine assistentia Sancti Spiritus scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura sacra.*

Dices: Leges à privatis hominibus conditae, et postea à Rege approbatae et adoptatae, nuncupantur regiae; ergo pariter liber humano ingenio factus, et à Deo, postquam scriptus fuit, approbatus, verè divinus erit.

Resp. Neg. conseq. et parit. In legibus enim humanis non tam spectatur earum origo, quam promulgatio; ac proinde lex à Rege promulgata verè regia censetur, licet fuerit ab aliquo privato concinnata. At verò sacras Scripturas, tum in se, tum ratione originis consideramus, ac proinde ut divinae habeantur, à Deo movente, impellente et affiante manaverint necesse est.

PROPOSITIO IV.

Ad Scripturam sacram necessaria fuit vera et propria dicta inspiratio, qua Deus Autores sacros ita ad scribendum impulerit, ut ab operis initio usque ad finem ipsis suggererit et dictaverit quidquid scriberent.

Probatur. 1°. Illa ad sacram Scripturam neces-

saria fuit inspiratio, sine qua non potest esse verbum Dei: atqui Scriptura sacra non potest esse verbum Dei, nisi Deus sanctos homines ad scribendum impulerit, eisque suggererit quidquid scriberent. Nisi enim eam quam defendimus inspirationem admiseris, tunc dicendum erit Spiritum Sanctum Scriptoribus sacris non adfuisse, nisi eos dirigendo ne errarent, vel opus ab iis perfectum approbando: atqui ex modo dictis, neutrum horum sufficit, ut Scriptura sacra proprie dictum sit Dei verbum; ergo, etc.

Prob. 2°. illa sententia tenenda est, quae tum Scripturae, tum Patrum autoritate nititur: atqui ea quam tuemur sententia, etc. 1°. quidem Scripturae: Deus Moysen jubet ad Pharaonem proficisci, ut Hebraeos à servitute liberet: cui muneri cum imparem se diceret Moyses, suam Dominus opem sic ei spondet: *Perge igitur, et ego ero in ore tuo.* (Exod. cap. 4. v. 12.) De Davide sic legitur: *Haec autem sunt verba David novissima. . . Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* (Lib. 2. Reg. cap. 23. v. 2.) Christus sic testatur Apostolis: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* (Matth. 10. 20.) *Oportet impleri Scripturam quam praedixit Spiritus Sanctus per os David.* (Act. 1. 16.) *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines,* ait Sanctus Petrus. (2. Pet. 1. 21.) *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis,* ait Paulus. (Epist. ad Hebr. 1. v. 1.) Itaque, juxta Scripturae testimonia, Deus per vicariam sacrorum Scriptorum linguam ipse locutus est: atqui illud verum esse non potest, nisi Deus Autores sacros ad scribendum impulerit, ipsisque suggererit et dictaverit quid dicerent aut scriberent; ergo 1°. nostra sententia Scripturae auctoritatem merito sibi vindicat.

2°. Et Patrum: ex innumeris eorum testimoniis insigniora tantum afferemus: *Diligenter inspici-*

Scripturas, Spiritus Sancti vera oracula, inquit Clemens Romanus sanctorum Patrum antiquissimus. (Epist. 1. ad Corinth. num. 45.) Scripturæ perfectæ sunt, ait Irenæus, quippè à verbo Dei et spiritu ejus dictæ. (Lib. 2. adversus hæreses, cap. 38. n. 2.) Cum illi scripserunt, inquit Augustinus, ne quaquam dicendum est quòd ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt quod, dictante capite, cognoverunt: quidquid enim ille (Christus) de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus imperavit. (Lib. 1. de consens. Evangel. cap. ultimo.) Ipse (Spiritus Sanctus) inquit Gregorius Magnus, hæc scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius (lib. Job) opere inspirator extitit. (Præfat. in Moral. cap. 1. n. 2.) Itaque, juxta Sanctos Patres, Deus Autoribus sacris, ut scriberent imperavit, et quæ scriberent dictavit, et ipse per vicarias eorum manus scripsit: atqui hæc verba nihil aliud quàm nostram propositionem exprimunt; ergo 2.º quam defendimus sententia Patrum suffragiis munita est.

Quæres an Scripturæ quoad verba inspiratæ fuerint.

Resp. Modò prolatis sacrorum voluminum, Patrumque testimoniis graviter permoti Theologi non pauci, et quidem optimæ notæ, Scripturam contendunt non solum quoad res et sententias; sed etiam quoad singula verba divinitus inspiratam fuisse. Ita Lovanienses et Duacenses: *Omnis scriptura*, inquit, teste Apostolo, *divinitus inspirata est*: atqui Scriptura non tantum rebus et sententiis constat; sed etiam verbis. Si aliter sentirent Patres, pergunt illi Theologi, quorsum dicerent. 1.º *Nec verbum in Scripturis inveniri otiosum, non esse vel syllabam, vel apiculum in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus?* ut Chrysostomus; (Homil. 21. in Genes.) 2.º *singulos*

sermones, syllabas, apices, puncta plena esse sensibus, ut Hieronymus (cap. 3. Epist. ad Ephes.) 3.º *quidquid de Christo scripserunt Evangelistæ, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus, imperasse, ut Augustinus supra laudatus; 4.º Spiritum Sanctum scribenda dictasse auctori libri Job, operis illius inspiratorem extitisse; Scriptorem verò non fuisse, nisi Spiritus Sancti calamum, ut Gregorius!*

Sed refragantur alii Theologi, et volunt Scripturæ sacræ verba et stylum, non divinæ inspirationi, at scribentis arbitrio tribuenda esse, quamvis tamen ab inspirante Deo esse possit quidam, in rebus gravioris momenti, verborum delectus. In Scriptoribus sacris, inquit, tanta est styli diversitas, etiam dum eandem materiam pertractant, ut ab uno eodemque Spiritu oriri non potuerit: v. g. in eodem argumento versantur Isaias et Amos, ambo scilicet iram Dei prænuntiant, et tamen disertus est ac elegans Isaias, rudis autem, inconcinnus et penè rusticus Amos, ut observat Hieronymus. Sublimius Joannes, elegantius Lucas Christi describunt historiam. Si verba et stylum suggesserit Spiritus Sanctus, quomodo fieri potuit ut Matthæus, Marcus, Lucas et Paulus eodem prorsus modo non referant, quæ in ultimâ cœnâ gesta sunt? Cur oratio Dominica, licet brevissima, iisdem verbis à duobus Evangelistis non exprimitur? Cur Moyses Decalogum bis referens, scilicet, exod. cap. 20. Deuteron. cap. 5. illum diversis verbis, et aliquantulum inverso mandatorum ordine refert? Præterea, inquit, sufficit rerum sententiarumque inspiratio, ut Scripturæ veræ sint et à Deo prolatae, alioqui nulla Scripturæ versio dici posset Scriptura sacræ. Vulgatam enim nostram, licet authenticam, nemo dixerit, quoad ipsa verba inspiratam.

Reponunt alii, si Autores sacri eandem rem vel sententiam diversis referant verbis, hoc suggerente Spiritu Sancto, factum esse: ut magis

integra et pura videretur Scripturarum fides, et fastidium tolleretur: licet enim variis modis exprimatur Scriptura, semper una eademque est: quod sic notat Augustinus: *Una eadem que res ideò multis modis dicitur, ut modo ipso dicendi propter fastidium varietur, sed propter concordiam una teneatur.* (In *Psal.* 46. n. 1.) Quod spectat ad sermonis diversitatem, inquirunt, nihil obstat quominus à Sancto Spiritu prodierit; Deus enim, qui disponit omnia suaviter, Scriptorum indoli, conditioni et institutioni sese accommodat et attemperat, verbaque eis suggerit prout unicuique sunt familiaria, juxta ingenii et educationis diversitatem, ut observat Hieronymus. (*Lib.* 1. *adversus Rufinum*, cap. 4.) Hinc Isaias è stirpe regia oriundus, stylo sublimiori elegantiorique scripsit quàm Amos gregum pastor; sicut igitur manus, pro varia calami conditione, et prout obtusus est vel acutus, varios exprimit characteres; ita et Spiritus Sanctus, pro diversis, quibus utitur, ministrorum ingeniis, diversa verba, dissimilemque stylum suggerit: huic sententiæ adhærendum arbitramur; non facile enim concipitur quo pacto inconcussa stet sanctorum Codicum divina auctoritas, nec quomodò verbum Dei verè dici possint, nisi Deus ipse verborum, quibus res enuntiantur, autor fuerit, illæsâ sacrorum Scriptorum libertate.

CAPUT III.

De Scripturarum Canone.

NOTANDUM est 1°. *Canonis* nomen duplici modò accipi posse; 1°. pro norma sive regula. Hoc sensu Sanctiones Ecclesiasticæ dicuntur *Canonones*; 2°. pro catalogo; sic in Concilio Laodiceno catalogus Clericorum in Ecclesia ministrantium.

vocatur *Canon*. Utroque illo sensu sacri Codices sunt *Canonici*: nam fidei morumque sunt regula, et in certo determinatoque indice, sive catalogo continentur. *Salubri vigilantiâ*, ait Augustinus, *Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum Libri pertineant . . . Secundum quos de ceteris litteris vel fidelium, vel infidelium liberè judicemus.* (*Lib.* 2. *contra Cresconium*, cap. 31.)

Notandum est 2°. Scripturam sacram et canonicam propriis nominibus differre: ad Scripturam enim sacram sufficit, ut Deus illius sit autor; ad Scripturam verò canonicam insuper requiritur, ut ab Ecclesia proponatur tanquam à Deo dictata et inspirata.

Notandum 3°. Scripturæ libros alios, dicitur *canonicos*, alios *apocryphos*. *Canonici* illi sunt qui in Ecclesiæ Canone continentur: apocryphi dicuntur qui in Ecclesiæ Canone, sive catalogo, non sunt recepti, quia eos divinos esse certò non constat, licet fortè tales sint; ex quibus hæc pauca videntur extare, juxta Bellarminum, (*Lib.* 1. *de verbo Dei*, cap. 4.) 1°. Oratio Manassæ; 2°. Libri tertius et quartus Esdræ; 3°. Libri tertius et quartus Machabæorum; 4°. Psalmus 151. qui in Græcis Codicibus reperitur, et cujus meminit Athanasius in Synopsi; 5°. Appendix Libri Job; 6°. Liber Hermetis, qui inscribitur *Pastor*.

Notandum 4°. è Libris canonicis alios dicitur *Proto-canonicos*, alios *Deutero-canonicos*. Priores ii sunt, qui ab omnibus Ecclesiis Catholicis semper habiti sunt ut divini, et in Ecclesiæ Canonem admissi, v. g. Pentateuchus. Posteriores autem ii sunt qui, licet in se et respectu majoris Ecclesiæ partis, semper fuerint sacri et divini, tamen ut tales ab omnibus Catholicis non recepti sunt, nec in Canone Ecclesiæ ab initio extiterè; sed postea accedente Ecclesiæ judicio, Canonici evasère. His prænotatis, tres instituemus, articulos; primus.

erit de Judæorum; secundus, de Ecclesiæ Catholice; tertius de Hæreticorum Canone.

ARTICULUS PRIMUS.

De Canone Judæorum.

Quæres 1^o. an extiterit apud Judæos Scripturarum Canon, et à quo confectus fuerit.

Respondeo extitisse hujusmodi Canonem, cujus autorem fuisse Esdræ omnes fere existimant, qui propter singulare studium in colligendis, et populo commendandis Scripturæ libris, laudatur. Narrat enim Josephus (*contr Appion. lib. 1.*) majorem fuisse apud Judæos Librorum sacrorum, usque ad Artaxerxem Longimanum scriptorum, auctoritatem, quam eorum qui postea exarati sunt; hæc autem diversitas aliunde repeti posse non videtur, quam ex eo quod, regnante Artaxerxe, editus sit librorum sanctorum Canon, in quem prior es Libri relati sunt, non posteriores. Porro nullus occurrit, cui potiori jure adscribi debeat hic Canon, quam Esdræ; tum quia sub eo Principe vixit, ab eoque missus est ad instaurandum Domini Templum; tum quia vocatur *Scriba velox in lege Moysis, Scriba eruditus in sermonibus et præceptis Domini, Scriba Legis Dei doctissimus.* (*1. Esdr. cap. 7. v. 6. 11. 12.*)

Animadvertendum est autem 1^o. Canonem illum non Esdræ tantum, sed et Synagogæ auctoritate innixum esse; tum quia tanti momenti res ad eam pertinebat; tum quia Rabini Canonem illum, non quasi solius Esdræ, sed et ipsius Synagogæ opus venerantur.

Animadvertendum 2^o. etiamsi ante Esdræ forte non confectus fuerit apud Judæos sacrorum voluminum Canon, quod certo non constat, dubitan-

dum tamen non esse, quin extiterit in Synagogâ constans quædam traditio, cujus ope divini Codices ab humanis secernerentur.

Quæres 2^o. quinam Libri in Esdræ Canone non contineantur.

Respondeo, ab eo Canone exulare Libros Tobie, Judith, Baruch, Sapientie, Ecclesiastici, primum et secundum Machabæorum; sed nihilominus pro sacris habitos esse apud Judæos. Nam standum est Josephi et Hieronymi testimoniis, qui, præ ceteris, antiquæ Synagogæ mores et doctrinam calluerunt: atqui uterque docet eos, de quibus agitur, Libros pro sacris habitos fuisse. 1^o. Quidem Josephus lib. 1. contra Appionem, tradit Libros, ab Artaxerxis temporibus ad suam usque ætatem conscriptos, non pari quidem fide susceptos fuisse, ac eos qui antea editi fuerant; sed tamen fide fere æquali, et maximo apud Judæos pretio habitos fuisse: atqui non tantopere illos Libros venerabantur, nisi quia eos ut sacros spectabant. 2^o. Hieronymus (*Præfat. in Libros Tobie et Judith.*) expressis docet verbis, illos inter Hagiographos ab Hebræis reponi, licet non fuerint in Canone recepti. His accedit quod illos libros Ecclesia Christiana, ut canonicos, suscipiendos esse decreverit: atqui non ita definiisset, ut videtur, nisi Synagoga eos sacros credidisset, siquidem ab eâ omnes Veteris Testamenti Libros recepit.

At, inquires, si libros illos, ut sacros, habuissent Judæi, cur eos Canoni non inseruerunt? Responderi potest eos à Judæorum Canone illam ob causam abesse, quod editi non fuerint, nisi post absolutum, et quasi publico sigillo clausum et obsignatum Canonem; quo semel constituto, visum fortassè fuit illum non immutare, etsi postea alios quosdam libros, præter eos qui in Canone erant, sacros esse constaret.

ARTICULUS II.

Qualis sit apud Catholicos Scripturarum Canon.

Scripturarum Canon apud Catholicos ab Ecclesia universali definitus est; tum in Concilio generali Florentino, in Decreto pro Armenis; tum maximè in Synodo Tridentina: hæc enim, Sessione quarta, recensitis utriusque Testamenti libris, quorum tabula infra subjicitur, Canonem sic claudit: *Si quis autem libros istos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit.* Ut autem clarius innotescat, quinam utriusque Testamenti Libri sint Proto-Canonici, quinam autem Deutero-Canonici, subjectas inspice tabulas.

Libri Veteris Testamenti Deutero-Canonici, de quibus aliquando in Ecclesia dubitatum est.

- | | |
|--|--|
| 1. Tobias. | 7. Ecclesiasticus. |
| 2. Judith. | 8. Additiones Danielis, id est, Oratio Azariæ, Hymnus trium puero- rum, Historia Susannæ et Belis. |
| 3. Esther quædam capita. | 9. Duo Libri Machabæorum. |
| 4. Baruch. | |
| 5. Epist. Jeremiæ, seu caput ultimum Baruch. | |
| 6. Sapientia. | |

Libri Novi Testamenti Deutero-Canonici, de quibus aliquando in Ecclesia dubitatum est.

- | | |
|-------------------------|--|
| 1. Marci caput ultimum. | Agoniâ Christi. |
| 2. Lucæ Historiæ de | 3. Joannis narratio de muliere adulterâ. |

- | | |
|----------------------------|------------------------|
| 4. Epistola ad Hebræos. | 7. Epistola secunda et |
| 5. Epistola Jacobi. | tertia Sancti Joannis. |
| 6. Epistola secunda Petri. | 8. Epistola Judæ. |
| | 9. Apocalypsis. |

Porro ut Ecclesiam, in condendo Scripturarum Canone, sufficienti innixam esse Traditione pateat, sit

PROPOSITIO.

Ecclesia universa sufficienti Traditione nitebatur, cum in Concilio Tridentino Scripturarum Canonem, sive Catalogum, texuit et definiuit.

Probat. Ille Canon sufficienti Traditione nititur, quem plures gravioris et majoris autoritatis Ecclesiæ antiquitus tenuerunt. Hanc regulam tradit Augustinus, quem magnoperè venerari se profitentur Hæretici: *In Scripturis Canonicis quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque Ecclesiæ accipiunt, eis quas pauciores minorisque autoritatis Ecclesiæ tenent:* (Lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 8. n. 12.) atqui plures, graviorisque autoritatis Ecclesiæ hunc Canonem antiquitus tenuerunt, quem Ecclesia universa in Concilio Tridentino condidit; idque colligitur ex eodem Augustino: postquam enim memoratam tradidit regulam, (ibidem, et lib. 15. de Civitate Dei, cap. 25.) Scripturarum Canonem profert, illi prorsus similem, qui in synodo Tridentinâ constitutus fuit: atqui nisi censuisset sanctus Doctor plures, graviorisque autoritatis Ecclesias, suo tempore hunc Canonem admittere, illum ipse non recepisset: alioquin à regula quam præscripserat, recessisset; ergo, etc.

Præterea dubium non est, quin Africa, et imprimis Romana Ecclesia, quæ tanquam ceterarum mater et magistra, quocumque seculo habitæ est, fuerint majoris et gravioris ponderis Ecclesiæ

atque utraque eos omnes libros quos canonicos declarat Tridentina Synodus, pro sacris habuit et canonicis: sic enim statuit Concilium Carthaginense, anno 397. cui interfuerunt 44. Episcopi, è quibus erat Augustinus: *Placuit ut, præter Scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine Scripturarum divinarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ, etc.* Deinde sigillatim enumerat omnes Veteris et Novi Testamenti libros, à Synodo Tridentinâ recensitos, uno excepto Baruch, quem sub Jeremiæ nomine comprehendit; ergo Ecclesia Africana eundem Scripturarum Canonem tenuit, qui à Patribus Tridentinis postea sancitus est. Idem certum est de Ecclesia Romana: etenim cum ex votis Patrum Carthaginensis Concilii, index ad occidentales Ecclesias delatus fuisset, ut ab Episcopis occidentalibus et præcipuè à Romano Pontifice, confirmaretur: eum Innocentius I. suo et Sedis Apostolicæ, imò et totius occidentalis Ecclesiæ nomine, approbavit. In Epistola ad Exuperium Tolosæ Episcopum, eundem Scripturarum indicem confirmavit Gelasius Papa in Concilio Romano 70. Episcoporum, exeunte seculo quinto; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Illi soli Veteris Testamenti libri sunt canonici, ex quibus Christus et Apostoli in Novo Testamento testimonia proferunt: atque Christus et Apostoli sæpè ex libris proto-canoniciis, nunquam verò ex deuterocanoniciis, testimonia proferunt; ergo illi posteriores libri non habendi sunt ut canonici.

Resp. 1°. Transeat minor. Sunt enim qui contendunt libros in Judæorum Canone non receptos, aliquid ab Apostolis laudatos fuisse, v. g. Librum Sapientiæ; hæc nimirum Apostoli sententia: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* (Rom. 11. 34.) Plane similis

videtur huic Sapientiæ effato: *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei?* (Cap. 9. 13.)

Resp. 2°. Neg. maj. Quemadmodum enim, licet libros Judicum, Ruth, Ecclesiastæ, etc. qui in Judæorum Canone continentur, nunquam laudaverint Christus et Apostoli, minime negant recentiores Hæretici, eos libros esse canonicos et divinos; ita etiam ex eo quòd in Novo Testamento nullum ex libris deuterocanoniciis testimonium protulerint Christus et Apostoli, concludi non potest eos non esse sacros et divinos.

Obj. 2°. Ecclesia, citra novam revelationem, definire non potest divinitus inspiratum esse librum, qui antea ubique non habebatur pro divino: atque Ecclesia nullà novà revelatione à Christo ditatur, in iis quæ ad fidem pertinent; ergo definire non potuit divinitus inspiratos esse libros deuterocanonicos, qui in multis Ecclesiis non habebantur pro divinis.

Resp. Neg. maj. Ecclesia enim, absque novà revelatione, potuit quosdam libros declarare divinos, licet ut tales à quibusdam Ecclesiis non haberentur: ad illud quippe satis fuit, ut eà de re Traditionem expenderet, utrùm vera esset an falsa, pro suo jure pronuntiaret. Quemadmodum, ubi Baptismum ab Hæreticis datum, validum esse definiit Ecclesia, illud dogma per novam revelationem non ipsi innotuit; sed per Traditionem quæ clara apud plures Ecclesias extabat, obscura apud alias, et quæ apud nonnullas penitus extincta fuerat.

Præterea libros, qui ubique recepti non erant, divinos agnoscere et pronuntiare Traditionis subsidio potuit Ecclesia, si à plurimis et antiquissimis Patribus, sub divinarum Scripturarum nomine, non semel proferantur: atque res ita se habet; sic, v. g. Origenes, libros Esther, Judith, Tobix, Sapientiæ, vocat *divina volumina.* (Hom. 27. in Numeros.) Sic sanctus Cyprianus eundem

Tobiæ librum cum Scripturæ divinæ titulo appellat: *Scriptura divina*, inquit, *instruit, dicens: Bona est oratio, cum jejuniis et eleemosyna.* (*De Orat. Dominica, versus finem.* Sic Ecclesiasticus dicitur *Scriptura* pluribus in Conciliis, ut in Toletano 8. ann. 633. (*Can. 9.*) Sic de Machabæorum libris loquitur Origenes: *Ut autem ex Scripturarum autoritate hæc ita se habere credamus; audi quomodo in Machabæorum libris, etc.* (*Lib. 2. de Principiis, circa finem, c. 1.*) Potuit igitur Ecclesia, absque nova revelatione, sed Traditionis subsidio, divinos agnoscere et definire libros deuterocanonicos, licet nonnullis in Ecclesiis ut tales non susciperentur.

Obj. 3^o. Ii Libri divinæ non sunt autoritatis, nec inter canonicos numerari potuerunt, qui ad confirmandam fidem proferri nequeunt: atqui tales sunt Libri deuterocanonicos. De libris enim Sapientiæ et Ecclesiastici, sic loquitur Hieronymus: *Hæc duo volumina legat (Ecclesia) ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* (*Præfat. in lib. Salomon.*) Ergo, etc.

Resp. Neg. min. Vel à primis enim Ecclesiæ seculis, licitum fuit libros deuterocanonicos ad confirmandam fidem proferre; cujus rei non desunt exempla: nam Cyprianus (*Lib. 2. Testimoniorum, cap. 6.*) Christum Deum esse probat ex testimonio Baruch, cujus ista adhibet verba: *Hic Deus noster . . . qui in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* (*Baruch. 3. 38.*) Sanctos apud Deum nostros esse deprecatores et patronos, adstruit Hilarius testimonio Angeli Raphaëlis, de quo loquitur Tobias. Gratuitam prædestinationem demonstrat Augustinus ex ista Sapientiæ sententia: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius.* (*Lib. de prædest. Sanctorum, cap. 14. num. 26.*) Cum autem reponerent Massilienses Presbyteri, in medium non proferendam fuisse hanc sen-

tentiam, utpotè ex libro non canonico depromptam, sic respondet sanctus Doctor: *Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi . . . tam longâ annositate recitari, et ab omnibus Christianis . . . cum veneratione divinæ autoritatis audiri.* (*n. 27.*)

Et verò, quis concipiat ad stabilienda fidei dogmata proferri non potuisse eos libros, quos in Ecclesia utiliter legi, et in quibus nihil occurrere fatetur ipsemet Hieronymus, quod *ad ædificationem plebis non conferat*? Quapropter ne pugnantia loqui videatur sanctus Doctor, ipsius verba non ita sunt intelligenda, ut libri deuterocanonicos probandis fidei dogmatibus inservire prorsus nequeant; sed eo sensu accipienda sunt, quòd ante Ecclesiæ definitionem, illorum librorum, licet divinorum, eadem non esset apud omnes Catholicos autoritas, ac aliorum qui, ut canonici à Judæis, et ab omnibus Ecclesiis recepti erant.

Obj. 4^o. Hieronymus in *Prologo galeato*, post enumeratos libros, qui in Judæorum Canone continentur, de aliis sic pronuntiat: *Quidquid extra hos libros est, inter Apocrypha ponendum.* (*T. 1 pag. 322.*) Ergo libros deuterocanonicos non habuit Hieronymus ut sacros.

Resp. Neg. conseq. Vox enim illa *Apocrypha* quam adhibet Hieronymus, duplicem apud Veteres habet sensum; interdum significat opus quod erroribus scatet, et proinde eliminandum: interdum etiam accipitur pro libro qui in Scripturarum Canone non continetur; cujus autor omnibus non videtur esse Spiritus Sanctus, et cui ab aliquibus contradicitur; in quo tamen nihil est, nisi pium et laudabile, nihil quod summâ cum reverentiâ non excipiat à Catholicis. Hoc posteriori sensu, non verò priori, Apocryphos dixit Hieronymus quosdam Veteris Testamenti Libros, qui in Judæorum Canone locum non habebant; siquidem

eos et legi posse in Ecclesia ad *edificationem plebis* affirmat, et in sanctarum Scripturarum numero aliquandò ponit: sic, v.g. loquitur de Libro Judith qui à Judæorum Canone excluditur: *Ruth, Esther, Judith tantæ gloriæ sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint.* (T. 11. pag. 681. Epist. 40. ad Principium.) Librum etiam Tobiae, quem apocryphum dixerat, vertit tamen ex Hebraico idiomate satisque significat in Præfatione librum istum, juxta communem in Ecclesia Catholica sententiam, inter sacros esse reponendum: *Pharisæos* enim vocare non dubitat qui eum rejiciunt.

Obj. 5°. Illi duntaxat Veteris Testamenti Libri possunt esse canonici, quos ut tales admisit Synagoga, cui *credita sunt eloquia Dei*: atqui Synagoga, tanquam canonicos, non habuit Libros Veteris Testamenti quos Deutero-Canonicos dicimus; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Eos enim Libros inter canonicos recensere potuit Ecclesia, quos ut sacros et hagiographos habuit Synagoga: atqui, licet quosdam Veteris Testamenti Libros suum in Canonem non retulerit Synagoga, eos tamen ut sacros venerata est. Nam teste Josepho, quem jam appellavimus, Libri illi eandem ferè obtinebant auctoritatem, ac canonici. Undenam autem tantam venerationem mutuari potuere, nisi ex eo quòd apud Judæos, tanquam sacri et hagiographi, uno verbo, inspirati, haberentur, quamquam id non erat tam exploratum de illis Libris, quàm de canonicis? Non repugnat autem rem postea Ecclesiæ Christianæ factam fuisse manifestiorem; post excussam nimirum Traditionem Apostolicam, cujus opere certò deprehenderit, id olim revelatum fuisse, sibi que traditum.

E Libris deutero-canonicis nullus est, cujus auctoritatem imminuere, vel prorsus evertere non conentur recentiores Hæretici; nunc eos pugnantly loqui; nunc plurima continere, quæ vel à fidei

vel ab historiæ veritate sunt aliena, dictitant. Singulas illas argutias expendere et refellere nostri non est instituti ex iis multas alibi jam explosimus. Adeundi sunt Catholici Scripturarum interpretes, qui in dissolvendis Hæreticorum difficultatibus, suam ex industria posuerunt operam.

ARTICULUS III.

De Canone Hæreticorum.

Maximè varius est Hæreticorum Canon. Hos alii, istos alii respuunt vel admittunt Libros canonicos. Lutherus, et post eum Kemnitius, omnes Veteris Testamenti Libros deutero-canonicos, nempe Baruch, Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, Sapientiam, et duos Machab. rejiciunt; quibus consentiunt Calvinus et illius asseclæ. Præterea Lutherani serè omnes ex albo Librorum canonicorum expunxerunt Libros Novi Testamenti deutero-canonicos, nimirum Epistolam Pauli ad Hebræos, Epistolas Jacobi et Judæ, secundam Petri, secundam et tertiam Joannis, et Apocalypsim. Contra verò Calvinistæ hos omnes Libros recipiunt. Diversum esse apud recentiores Hæreticos Scripturarum Canonem, sicut et dogmatum fidem, nemo mirabitur: cum enim proprio spiritu regantur, et supremam alicujus Judicis *infaillibilis* auctoritatem abjiciant, necesse est ut apud eos sint tot sensus, quot capita; et quo jure unus aliquid approbat; illud et alius eodem jure improbet.

